

**Descriptio novi instrumenti pro cura cataractae nuper inventi. Ac exhibiti /
[Natale Giuseppe Pallucci].**

Contributors

Pallucci, Natale Giuseppe, 1719-1797.

Publication/Creation

Viennae : Typis et sumptibus Joannis Thomae von Trattner, 1763.

Persistent URL

<https://wellcomecollection.org/works/nwb836vx>

License and attribution

This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.



Wellcome Collection
183 Euston Road
London NW1 2BE UK
T +44 (0)20 7611 8722
E library@wellcomecollection.org
<https://wellcomecollection.org>



39578/3
820 + 39579

J 165

A 28373

B 8812



DESCRIPTIO
NOVI
INSTRUMENTI
PRO CURA
CATARACTÆ
NUPEB
INVENTI AC EXHIBITI
A
NAT. JOSEPH. PALLUCCI...



VIENNÆ,

TYPIS ET SUMPTIBUS JOANNIS THOMÆ TRATTNER
CÆS. REG. MAJ. AULÆ TYPOGRAPHI ET BIBLIOP.


M. DCC. LXIII.

ОПЫТЫ
ПОД
ИГИЕМИИ
АЯСОВЫХ
ЗАТОЯЯАТА
ПРИЧИНА
ПРИЧИНА
ПРИЧИНА

Digitized by the Internet Archive
in 2019 with funding from
Wellcome Library



§. I.



triplicem Rationem curandi
Cataractam , frequentissi-
mum nempe Oculorum affectum , indubie
novit Antiquitas , prout ex Avicennæ
authoritate evincitur , illustravit deinde
Posteritas . Harum prima Cataractam
discutit , dissipatque : Altera autem
eam deponit , vel submergit , ne radios
intercipiat : Tertia denique eamdem ab
Oculo removet extractione .

Hæc ut ut permultis incommodis ,
difficultatibusque summopere obnoxia ;

nihilominus cum pro casuum varietate aliquando necessaria contingat, meruit ab egregiis viris ut excoleretur, nostra-que vel industria adhuc ulterius perficeretur. Antequam vero commoda, quæ huic nuper adjecimus, referamus, utile erit, ad majorem rei intelligen-tiam, nonnulla de Cataracta, deque ipso Oculo præfari.

§. II.

Cataractæ nomine vitium commu-niter intelligimus, quo intra Ocu-lum detinentur, atque impediuntur radii, quin ad ejus fundum perveniant, ibi-demque imaginem rei externæ repræ-sentent. Ideo qui hoc vitio laborant, objecta non vident, nisi illud removea-tut vitium.

Ocu-

Oculus vero, ad instar globi, e pluribus convolutis membranis componitur, in quo bini præcipue parietes, seu regiones adnotantur; quarum una anterior; altera autem posterior dici potest. Anterior ex Cornea quam pellucida, quam obrem ingrediuntur radii; posterior vero e sclerotica resultat. Est quidem una eademque tunica, nisi quod Cornea, ea parte, qua sclerotica nuncupatur, magis dura, atque densa, ac penitus opaca fit.

Huic interne mollissima insternitur Retina, communiter pro visus organo habita. Linea quæ harum centra conjungit, axis vocatur visualis sive opticus, secundum quem radii ab objectis exterioribus transmissi ad Retinam

6 DESCRIPT. NOV. INSTR.

usque perveniunt. Axis optici extremitates, habentur pro Oculi polis. Inter hos contenta materies oportet sit perfecte diaphana, ut radii per Corneam ingressi, ad usque **Oculi** fundum libere pergant, ibidemque objecta effingant.

§. III.

Est autem Oculus, saltem quoad usum, Cameræ obscuræ assimilandus: Nam prout radii per parvulum in hac fenestræ foramen ingredientes, inque oppositum parietem illabentes, ibidem imaginem rei exterioris effingunt, eoque vividius, prout vitrum ex utraque parte convexum, atque diaphanum, forami appositum fuit: Sic lucis radii, ab objectis reflexi, vel immediate

trans-

transmissii, ad partem oculi anteriorem
Corneam dictam, ubique diaphanam con-
fluentes, posteaque intra foraminulum,
Pupillam vocatum, suscepti, inde per
crystallinæ tegumenta, ejusque, & hu-
moris vitrei substantiam pergunt ad us-
que Oculi fundum, seu parietem poste-
riorem, cui superstrata est subalbida Re-
tina, ibique spectra imprimunt. Ast Re-
tina ob nervorum, unde resultat, con-
tinuitatem, intimam cum Cerebro conne-
xionem habet, ideoque aptissima est,
quæ mediante subtilissimo spiritu, sive
succo nerveo, intime excurrente, aptis-
sima (inquam) est, quæ commune,
ita dictum, sensorium de imagine ex-
terna, a radiis impressa excitet. Sic

radiorum ope , interveniente Retina ,
organo omnium præstantissimo , valde-
que delicato , de corporum procul di-
stantium forma , ac naturali dispositio-
ne adeo judicat anima , ac si ministerio
ferme manuum eadem contrectaret . Hac de
causa non immerito inter res creatas sum-
mopere admiramur Lucem ; Oculus vero ,
præcipue a Galeno , membrum divinum
habitus est .

§. IV.

Verum plane dolendum ! nobilis-
simum membrum , homini adeo nece-
ssarium , ut ejusdem amissa functione ,
vix se adhuc in vivis superesse dicere
audeat , cum mortem omni fere gressui
paratam vitare per se nequeat , quivis

facul-

facultate videndi orbatus; dolendum inquam! nobilissimum organum tam mollis, ac fragilis structuræ esse, ut si vel causas externas velis excipere, innumeris propemodum jacturis, natura sua obnoxium, cuilibet consideranti Physico se prodat. Quibus sane jacturis, vitiisque frequentissimum sane Cataracta accensenda est, ab opacitate quarundam partium antea transparentium, encens.

ego Quam facile vero partes intra Oculum contentæ pelluciditatem amittant, novimus tum ex naturæ earundem consideratione, tum ex obviis pluribus experimentis inspectis. Teneritudo enim, atque ingens vasculorum subtilitas, e

10 DESCRIPT. NOV. INSTR.

quibus nonnullæ Oculi partes componuntur; ipsaque humorum tenuitas, proxima parte Oculum repletum, limpidae insuper, pro qua tuenda ac conservanda requiritur, ut iidem humores jugiter renoventur, quid aliud indicant, quam perpetuo imminere opacitatis seu **Cataractæ** periculum? Evidem, quot conditionibus non indiget illa humorum renovatio, ut eo, quo par est, modo contingat? Requiritur imprimis, ut humores, qui ad Oculum circulationis operae transferuntur, sint adeo blandi, læves, attenuati, ut liberrime per subtilissima, atque gracilia vascula transfluere, exire, resorberi facile possint: Præterea, ut eamet tenerrima vascula sint ubique per-

via,

PRO CURA CATARACT. II

via, ubique continua, nulla nempe obstruente particula obsessa, nullaque solutione interrupta.

Si quæ vero ex hisce conditionibus desit, nonne coacervatio humorum, obstructio, opacitas sive Cataracta, ut plures adhuc morbos præteream? Ast quamdiu, quæso, fruentur humores præfatis adeo necessariis conditionibus, ut in Oculum libere fluant, indeque refluxant? Cum maxime certo constet, innumera id genus vascula, per totum corpus distributa, quæque attenuandis humoribus apta erant, tractu temporis ab ipsis vitæ viribus oblitterari, atque deleri? Ex hac ipsa ratione, humores vel qui Oculum invadunt, quam antea craf-

fiores sint, & difficilius resorbeantur,
oportet.

Nonne vel inde contingit, ut quis-
quis in senectute visu minus prospero
gaudeat, ac sua in juventute gavisus? Ut
qui trigesimum vix annum attingens, jam
nonnullas ex illis partibus, ad axim
optici sitis, a perfecta transparentia seu
pelluciditate aliquantulum deflexas do-
leat? Maxime id plane contingit Lenti
crystallinæ, quæ in adulta ætate a lim-
pidissima sua transparentia, qua antea
donabatur, aliquanto recedit, nonnul-
losque ex iis radiis, quos antea accura-
te, determinateque ad fundum oculi di-
rigebat, modo respuit, atque repellit;
unde noscimus quoad consistentiam, at-

que

que colorem non parum eamdem lentem esse immutatam. Quod plane evidenter apparet, si ex Oculo educata, ac vitro plano imposta, diligenter examinetur. Porro quævis hujuscemodi mutatio Lentis habenda veluti gradus ad Cataractam, maxime cum ex opacitate ejusdem Lentis hæc dependeat; et si reapse non defint, vel aliæ partes, quæ Cataracta subinde obsidentur.

Prætereo cæteras causas, tum internas, tum externas, quæ illam partium limpiditudinem, atque transparentiam, adeo visui necessariam perturbant, ac in opacitatem convertunt. Novi enim ex pluribus experimentis, in vivente animali, causa præsertim detegen-

dæ

dæ Lentis structuræ, studio iteratis, quod si apice acus hæc tantillum agitaretur, paucis inde effluxis diebus, jam vera Cataracta appareret. Idem effectus æque producitur frequentissime ab ictu, lapsu, quavisque violenta inflammatione; nec solummodo ab iis caufis afficitur lens; sed præcipue etiam ejus tegumenta. Quivis insuper gravior animi affectus, quævis vehemens applicatio potest opacitatem seu cataractam excitare, atque cæcitatem inferre: cum his de caufis major semper ad oculum humorum promoteatur affluxus.

Sat hucusque de caufis opacitatis seu Cataractæ. Monendum vero, non quamlibet opacitatem, quæ radiis ingref-
furis

furis se opponat, jure dicendam **Cataractam**, cum etiam *Hypopion*, atque *Glaucoma*, quæ vitia penitus à Cataracta discrepant, eumdem subinde effectum edant.

Manente enim **Lente crystallina** cum suis tegumentis in propria sede, potest aliqua materies, de qua hic ex professo non agimus, has inter partes, & Corneam adunari, radiosque intercipere: vitium inde pendens vocatur *Hypopion*. Pariter ultra Lentem, ejusque tegumenta, potest opacitas quædam inesse, quæ radios detineat, adque *Glaucoma* pertineat.

§. V.

Cataractarum species nunc vero designaturus, à receptiore opinione non nihil recedam, ut iis notionibus utar,
qui-

quibus frequens quidem observandi occasio faciem præbuit : Quandoquidem Cataracta non est tantummodo vitium Lentis , ut plures fibi imaginantur ; sed idem vitium ad Lentis quoque tegumenta subinde propagatur : Nonnunquam etiam sola hæc tegumenta obstruentibus humoribus , opacitatemque inducentibus , afficiuntur : Non raro solus ille humor , qui vel paucissima quantitate ante lentem , inter hanc nempe ejusque velamen , invenitur , opacitate turbatur . Variæ ejusmodi circumstantiæ plures quidem Cataractarum species constituunt ; quibus pro natura partium affectarum nomina imponimus .

Lens crystallina subtilissimis, visco-
fisque tubulis ubique referta, valde est
proclivis ad Cataractam: quam Catara-
ctæ speciem vocamus crystallinam, hanc-
que experientia edocti, sola operatione
curabilem facimus.

Binis præterea tegitur membranis
ipsa lens anterius, totidemque posterius:
Ex illis quæ anterius, primam alibi * di-
ximus membranam communem, alteram
autem propriam lentis. Loco commu-
nis vitream habet posterius. Igitur
ob ictum, lapsum, inflammationem,
vel irritationem, hæ membranæ, vel
junctim, vel distinctim offuscantur, con-

B stituunt-

* Methode d'abattre la Cataracte Paris 1752
pag. 16.

stituuntque Cataractam, quæ radios, non minus fere ac crystallina, intercipit.

Hanc vero Cataractæ speciem, membranaceam appellamus; quæ interdum folis remediis, absque ulla operatione, superatur.

Vidimus etiam, Cataractam promoveri ab opacitate humoris superius recensiti, qui parva quantitate lenti præest; latique animadvertisimus, hanc speciem, quam humoralem vocamus, interdum sola natura, sine remediis, & absque ulla operatione fuisse victam, penitusque dissipatam.

Sed interdum etiam videre contigit, omnes eas partes, hucusque recensitas, Cataracta simul obsideri, quam Catara-

ctæ

citæ speciem compositam quidem nun-
cupamus.

§. VI.

Ea sunt præcipua inter Cataractas
discrimina, quibus & alia accensenda,
quæ vel ex degeneratione affectæ partis,
vel ex mutata ejusdem sede, vel ex aliis
dispositionibus, mox dicendis, depen-
dent; quæque ad firmandam indicatio-
nem prænovisse sane necesse est. Quan-
doquidem cum multiplex sit Cataractæ
sanandæ via, expedit quovis in casu il-
lam inire, quæ naturæ morbi proximior,
ac magis recta deprehenditur. Evidem
quoad degenerationem affectæ partis, vi-
dimus interdum lentem crystallinam, Ca-
taracta affectam, adeo simul immutatam,

ut de propria substantia nihil amplius contineret, sed penitus in pus, vel in lacteum fere humorem abiret. Si hujusmodi Cataracta deponatur, sive submergatur, saepissime ille contentus humor per totum diffunditur Oculum, interque alia mala, nebulas excitat, quæ visum impedianter. Consultius igitur, si hujuscemodi Cataractæ penitus extrahantur.

Subinde etiam eadem lens crystallina, Cataracta laborans, e sua penitus excedit sede, inque Cameram anteriores, sic dictam devenit. Hæc maxime species est, quæ non aliter quam extractione curatur.

Ast vel in propria sede adeo Cataracta crystallina aliquando vacillat, ut

nihil

nihil boni ab ejus depositione, sive submersione sperare liceat; hanc extraherē adhuc tutius. Tutius adhuc extrahitur, ubicunque e suis signis lens nimirum dura, atque compacta videtur, submersa enim præ suo pondere, atque figura non raro dolores excitat.

Hæc sunt, quæ in nostris circa Cataractæ extractionem Animadversionibus, antehac editis seduli prosequuti; nulli proinde putabamus, D^m. Siegwart inde usquam laturum, directo nos animo extractioni adversos, quam e contra Davieri ante nota experimenta vel nos exculti, tantummodo veritatis inquirendæ studio adducti fuimus, ut præfatas animadversiones, firmissimis cæteroquin

fundamentis innixas, suasu peritissimorum
in Arte evulgaramus. Id quod si eodem
fine facere aggressus esset præfatus Sie-
gwart, meliora edidisset iis,* quæ nullam
plane celebrium artis virorum attentio-
nem meruerunt: Quandoquidem sectio-
nem Corneæ perficere studens, non ve-
ritus is est proponere, ut per lineas re-
ctas, multiplicesque angulos sectio illa
institueretur, quo nihil, Celso adhuc
monente, cicatrici infensius. Si autem
cumulatae laudes, quibus extractionem,
ejusque præsumtum extulis authorem
confiderentur, mox apparebit, ex ea-
rum classe esse, quæ non ad artis tantum-

modo

* Dissertatio Chirurgica de Extractione Cataractæ
ultra perficienda. Habetur in. Celeberr. Hal-
leri Disp. Chirurg. Tom. II. Pag. 207.

modo emolumentum, sed ad finem longe diversum tendant. Verum, ut ex hac digressione, aliunde excusabili, ad propositum redeamus; ingenue fatebimur, extractionem vel nos æque prospere aggressos in Cataracta cujusdam hujus Urbis Sutoris, quæ firmiter posteriori Iridis faciei adhærescens, nullo alio modo profliganda erat.

§. VII.

Illi plane casus nobis esse videntur,
in quibus extractio præferri mereatur de-
positioni, aut demersioni. Si vero in-
discriminatim quovis in casu Extractio ad-
hibeat, tunc sane longe minor erit
fructus, ex hac ipsa Extractione prove-
niens. Quandoquidem inito calculo,

accurateque perpenso, compertum est,
longe plures ægros levasse depositionem,
quam Extractionem, ubi præsertim in-
discriminatim in omnibus casibus hæ me-
thodi adhiberentur. Quin velimus, hu-
jus demonstrationis ergo nostras efferre
numerofissimas quidem curationes, suffi-
ciet putamus, si curas a Cl. Daviello edi-
tas comparemus, qui sane author in utra-
que curandi methodo multum excel-
luit.

Enimvero peritissimus Daviellus de-
ponendo Cataractas, sua utens methodo,
tam feliciter evafit, ut e septuaginta
quinque operationibus, etiam difficilli-
mis, Parisiis habitis, potuerit ostende-
re, sexaginta, & ultra, felicissime ces-

sisse

sisse.* Ubi vero æque indiscriminatim
in omnibus uteretur extractione, e qua-
draginta tribus operationibus, Remis per-
actis, & a doctis, ingenuisque viris, a
nobis etiam diligenter examinatis, fo-
lummodo viginti tres sat felicem even-
tum noctæ inveniebantur; reliquæ vero,
saltem pro maxima parte infeliciissimæ
fuere, cum in pluribus Oculi vel penitus
effluxerint.

Collato igitur Depositionis successu,
cum eventu Extractionis, mox apparebit,

B 5 prio-

* Lettre de Mr. Davielle a Mr. de Joyeuse Dr. en Medecine. Paris 1748. De 75. operations que j'ay faites pour la Cataracte a Paris... j'ay eu le bonheur (ait David) de reussir à soixante & une, pag. 7.

Reponse de Mr. David à Mr. Roussilles, pag. 18.

Nomina indicat, & curatorum habitationes.

priorem altera, nempe extractione, tri-
plo utiliorem fuisse. Quæ sane compa-
ratio opportuna non tantum, sed etiam
illi necessaria, qui pro tripode Judex,
eam dictare methodum, quæ hum anitati
magis conduceat, putat pro lubitu.

Habet quidem extractio nonnulla
commoda respectu quarundam Cataractæ
specierum, de quibus superius (§. VI.)
inque iis prævalet depressioni. Sed si
promiscue in omnibus casibus extractio
celebretur, hæc sane ob incommoda,
atque pericula quam multa propria at-
que specifica, minus utilis cedit, ac si
sola deponendi methodo omnes Catara-
ctæ tractarentur. Idque non tantum ex

alla-

allatis Davieli experimentis asserimus,
sed utique ex nostris, qui in deponenda
Cataracta, ad normam traditæ nostræ
methodi, prælaudato Davielo adhuc fe-
licius evasimus, prout editæ, compro-
batissimæque curationum historiæ testan-
tur.*

Quandoquidem extractio, prout ali-
bi diximus, incommodis periculisque ob-
noxia, quæ in singulis subjectis omnia
vitare, vix unquam humanæ peritiæ,
dexteritatique fas est. Hæc inter in-
flammatio operationi superveniens, quæ-
que

* Vide *Histoire de l'operation de la Cataracte*
Parisiis a nobis editam An. 1750. Præterea, &
Methode d'abatre la Cataracte, a nobis quo-
que Parisiis 1752. Ulterius, *Lettre sur les*
operations de la Cataracte, a nobis peractas
Paris. 1751.

que adeo generalis, ut quavis arte, vel
cautela utaris, nunquam eam vitabis.
Cornea enim, quæ discindi debet, ut
consequatur extractionis effectus, adeo
nervosa, atque sensibilis,* vasculisque
referta, ut postridie fere a peracta ope-
ratione, tota humoribus turgida, atque
penitus offuscata inspiciatur. Quid hic
recenseam contiguarum partium inflam-
mationem, atque dolorem? In multis
quidem natura validissimis adjuta reme-
diis, simulque diæta, valet eam Cor-
neæ obstructionem, opacitatemque re-
sol-

* Si Cornea acutissima lamina scindatur, non vi-
detur quidem adeo sensibilis; ast si quid alieni
ipsi infixum hæreat, ingentes excitat dolores. Igni-
tæ ferri particulæ in oculos fabrorum nonnunquam
resilientes, id sæpenumero comprobarunt.

solvere, atque discutere: in multis nequaquam; ita proinde, ut supersit æterna opacitas, qua radii detineantur. Prætereo obvia alia extractionis incommoda, ob quæ sane Depositioni præferri nullatenus debet, nisi iis præcipue casibus superius (§. VI.) adnotatis.

§. VIII.

Quod si ita judicetur de extractio-
ne, quod non sit depositioni præferenda,
nisi urgente aliqua ex iis circumstantiis
(§. VI.); quid igitur de eadem censem-
dum erit respectu prioris Cataractæ cu-
randæ rationis (§. I.); quæ sane prior
ratio omnium tutissima est, meretur
que proinde cuilibet alii methodo ante-
poni, si tantummodo ea sit Cataractæ

natu-

30 DESCRIPT. NOV. INSTR.

natura, ut patiatur remediis resolvi, atque dissipari. Evidem nulli ex iis Cataractis, in quibus aliqua resolutionis spes est, instrumentum admoveri debet, quin prius observatum fuerit, quid remedia, imo quid natura ipsa moliri possit.

Prætereaque nulla sane **Cataracta** (quicquid alii contra anatomes funda-
menta * jactitant) prius attingenda, quam
ad certum maturitatis gradum devenerit.

Non

* Velamina lentis undique fere vascula recipiunt, nutrientibus humoribus inservientia. Lens vero ex ipsis velaminibus sua habet vascula, magisque copiosa prope circumferentiam, qua etiam ipsa lens contiguis partibus magis adhæret. Si igitur Cataractam eduxeris ante maturitatem, videbis, prout toties jam nobis vidisse contigit, Cataractam secundariam, a remansa lentis vel membranæ nondum satis offuscatae portione.

Non una quidem vice, sed plures animadvertisimus, pupillam, post iectum maxime, aut violentam Ophthalmiam, in omni punto suæ latitudinis ita offuscatam, ut nihil ægri distinguere valuerint, tamen favente Numine, potuimus remediis, atque cautelis, sine ulla eos operatione redimere. Ex his fuit nobilissimus Juvenis Comes Philippus Stahremberg, qui post iectum, occasione lufus acceptum, Cataracta laborans, curæque nostræ, anno exinde lapso, ab Augustissima commissus, adeo feliciter curabatur, ut omnes Caracteres legere potuerit. Numero adhuc plures hujusmodi casus, alia occasione publici juris faciendos reservamus.

§. IX.

Operæ nunc pretium ducimus de
extractione agere, quam in casibus antea
(§. VI.) memoratis ne dum utilem, sed
& necessariam reputamus. Extractio
hæc variis quidem modis a variis tenta-
ta, non levem quoad se pariebat diffi-
cultatem, quotiescumque ejus instituen-
dæ occasio, vel necessitas aderat. An-
tequam ipse operationem hanc institue-
rem, legeram in memoriis Academiæ
Regiæ scientiarum viam, quam Petitus
sequutus erat anno 1708. in extrahen-
da Cataracta, quæ intra Iridem Corne-
amque hærebat.

Is nempe acceptam acum fulcatam,
per Corneam trajiciebat, posteaque lan-

ceo-

ceolam per sulcum acus inducebat, Corneamque deorsum incidendo, sic parabat commodissimum Cataractæ exitum, visumque restituebat.

Celeberrimi Petiti ratio incidendæ Corneæ, in qua sane incisione præcipuum negotium hujusc operationis est, non leviter arridebat. Verum dum experimentum in Cadaveribus multoties iterabamus, accidit, ut apex lanceolæ e sulculo in acu insculpto aberraret; quod si in vivente contingeret, futurum id Oculo perquam infensum probe intelleximus.

His mature perpenſis, ad methodum nos duximus convertendos, quam quadraginta ab hinc circiter annis in suo

utilissimo de morbis oculorum Tractatu
indicaverat Yvesius; * quæ metho-
dus ita se habet: Sedente ægro coram
lumine, fiat illi apertura infra Corneæ
dimidium, quæ utraque ex parte adeo
pateat, ut per eam Cataracta, parvuli
cochlearis, five spatuminis inducti
ope, facile educatur.

Hæc sane methodus, ex qua suam
composuisse videtur Davielus, quam o-
ptime cedebat præcipue in Oculis ab orbi-
ta exemptis; imo pro accurata Oculi in-
spectione vix meliorem invenimus; quip-
pe quod apice lanceolæ pertusa Cornea
prope suum marginem, ac in aperturam

pera-

* Nouveau Traité des maladies des yeux par M.
de St. Yves. Paris. 1722. pag. 3°3.

peractam ilicit inducta forcipis lamina ,
juxtaque marginem caute circa circum
dissecta Cornea , posteaque amota , illico
in conspectum venit (effluxo humore
aqueo) tota Iridis facies anterior , cum
suo foramine medio , Pupilla dicto , ex
quo prominet Lens Crystalina , suis vela-
minibus obducta.

Hæc ipsa Yvesii methodus superius
relata , ac aliquomodo ab Avicenna *
octingentos abhinc annos delineata , lon-
ge facilius in Oculis mortuorum , quam

C 2 viven-

* Et homines quidem habent vias diversas in
exercendo curam aquæ (nempe Cataractæ),
quæ fit cum Instrumento: ita ut quidam sint , qui
disrumpunt inferiorem Corneæ partem , & extra-
hunt Cataractam per eam : & hoc est in quo est
timor , &c. Avicenna Lib. 3. Cap. 20. pag.
(mihi) 566.

viventium nobis subvenire videbatur ;
imo finistro etiam eventu proxime con-
juncta ; eo quia mobilitas Oculi viventis
operationem plus æquo protraheret, pra-
ximque redderet difficiliorem.

§. X.

Ejusmodi artis incommoda dum
animo revolvimus, consultius duximus
unico solummodo instrumento Corneæ
fectionem aggrediendam, cui quidem sen-
tentiæ plures alii annuere periti in
arte viri. Cum vero placuerit nonnullis
effingere, se instrumenti formam, a no-
bis propositi, nequaquam intellexisse,
alii vero vel dubitarint, an unquam illud
Instrumentum ab artifice confectum esset.
Hac de re statim ac certiores facti fui-

mus

mus, mox illud ipsissimum Instrumentum, quod longe prius artifex parisiensis jussu nostro paraverat, ad Celebrissimum Morand transmisimus; qui cum primum in conventum Academicorum devenerit, Instrumentum nostrum ostendit; posteaque opportunum nobis, humanissimumque responsum dedit.

Indubie igitur primus ipse indicavi
modum, quo unico Instrumento Corneæ
sectio peragi debet. * Deque hoc insuper
plenam fidem faciunt acta Parisiensia. **

C 3 Re-

* Jam anno 1750. Extractionem Parisiis institui:
Vid. Histoire de l'operation de la Cataracte faite
à six Soldats Invalides. Paris 1750. pag. 38.
Exin, anno nempe 1752. Instrumentum pro
hac ipsa operatione, & modum adhibendi descripsi:
vid. methode d'abattre la Cataracte. pag. 160.

** Memoir. de l'Acad. de Chir. Tom. II. pag. 576.

Refert nunc figuram ejusmet nostri
instrumenti, in præcedente opusculo o-
missam, huic subjungere; quamque an-
tea edidimus descriptionem, noviter hic
de verbo ad verbum referre. Illud
igitur Instrumentum, quod fig. 1. re-
præsentatur, vocavimus in præceden-
te opusculo: une aiguille d'une espece
singuliere: ac sequenti modo adhiberi:
je l'introduis par le point x. (Fig. 2.)
quand j'opere sur l'œil gauche, & lui
donne une direction parallèle au plan de
l'Iris, je fais sortir la pointe par le point
diametralement opposé à celui par lequel
je l'introduis. Dans le même tems que
je pousse l'aiguille sans interruption,

un tranchant (b. b. Fig. 1.) qui se trouve à quelque distance de la pointe, & dont la largeur augmente insensiblement, coupe la Cornée comprise entre X, & Z, Ce tranchant dirigé obliquement à l'épaisseur de la Cornée, & tourné vers sa partie inférieure produit une incision, qui représente un arc.

Nemo sane, linguæ gallicæ expertus, ex modo tradita descriptione non intelliget figuram illius instrumenti, etsi nullibi delineatam adhuc viderit. Placuit tamen solertissimo la Faye, rem ita dissimulare, ac si non intellexisset. Per opportunem vero lectorem monuit, se

minime credere in meum incidisse inven-
tum; quod lubentissime vel ipse conce-
do. Nunquam enim pro illa Corneæ
sectione instituenda suo ipse simile Instru-
mentum excogitavi, licet perquam ob-
vium: quandoquidem valde periculo-
sam, incertique exitus, prout ab even-
tibus hujusmodi confirmatur, eamdem se-
ctionem reputassem, si lamina adeo la-
ta, ac illa se prodit instrumenti Dⁿⁱ. la
Faye inciperetur. Quam primum enim
sectio illa incepta, oportet absque
ulla sane intermissione continuari, ideo-
que Instrumentum jugiter impelli, donec
tota sectio peracta sit, eoque etiam impelli,
quo ars, sive fortuna jubeat: si enim
Instrumentum, melius ejus dirigendi cau-

fa, tantillum educeretur, illico humoris un-
da prodiret ex Oculo, is mox flaccesceret,
dēfinenda propterea incisio effet, quæ si
progrederetur, grandia certe pareret ma-
la, totumque destrueret Oculum. Oculus
autem cum valde sensibilis sit, conti-
nuo movetur, atque agitatur, si vel
tantillum apice instrumenti tangatur: sed
quivis ejus motus variandi instrumenti di-
rectionem capax est; interim, si a priori de-
flexerit, non potest ob allatam superius
rationem in opportunam viam restitui;
hinc est, quod subinde in Iridem, vel
ligamentum ciliare, vel nimis prope cen-
trum Corneæ Instrumentum illabatur: in-
de æque ea visus detrimenta toties ob-
servata, in eorum operationibus, qui

ad mentem fere Dⁿⁱ. la Faye Cataractæ curam aggrediebantur.

Si vero lubeat cognoscere in quo Instrumentum nostrum, superius descriptum, prævaleat, ex inspecta ejus figura probe intelligitur. Vides acum (a. Fig. 1.) laminam (b. b.) præcedere; quæ quidem acus eam densitatem habet, qua fere omnino replet foramen, quod penetrando confecit; hinc, si opus fuerit, acum aliquanto retrahere, ut ipsi melior directio detur, hoc fit sine Oculi detrimento. Præterea, ut Corneam acu tracijas, poteris commodissime confueto, vel etiam Petitiano (quod omnium commodissimum) uti speculo, Oculumque ita firmare, ne hilum sub hac traje.

jectione vacillet. Quod non auderes in alia methodo, humorum metuens efflum.

Quam primum vero acus nostra Corneæ spatum peregit, jam ipsa acus tunc dirigit laminam, qua tuto Cornea, quantum opus est, discinditur.

§. XI.

Quamquam vero Cataractæ extractione minus, quam Depressione utamur, imo priorem adhibeamus tantummodo urgente aliqua e præfatis (§. VI.) circumstantiis; non defuerunt tamen occasions, in quibus potuimus Instrumentum mox superius descriptum adhibere, emendare etiam, ac ulterius extractiōnem perficere.

Animadvertisimus inter operationem,
quod adhuc tutius, atque commodius esset,
si actu immisionis, acus (a. Fig. 1.) a la-
mina magis distaret, imo si hæc esset ab
ipsa acu penitus distincta, ac intra ma-
nubrium suscepta sive abscondita. Ob-
eiusmodi igitur rationes, præter alias,
excogitavimus Instrumentum, quod ex-
hibet figura 3^{tia}. Est quidem hoc sane no-
vum priori longe commodius, omniumque
huc usque in eumdem finem adinvento-
rum optimum; quod non tantum ex
animadversis effectibus, sed etiam ex com-
mendatione Celeberrimorum Virorum,
qui hoc ipsum Instrumentum præ manibus
habuere, inferimus.

Com-

Componitur hoc novum Instrumentum e tribus præcipuis partibus, videlicet manubrio A. (Fig. 3.) ; Acu, d, & lamina D. D. (Fig. 7^{ma}.) Acus, quæ juxta latitudinem suam repræsentatur figura 3^{tia}. elatere vero, seu oblique, fig. 4^{ta}, acus, inquam, non rotunda, sed plana est, summa diligentia parata, ut acutissime ex utraque parte (c. c.) prout etiam in apice (d) fig. 3^{tia}. scindat ; quin tamen pro Corneæ resistentia ullibi inverti possit. In tota sui colli (B.) longitudine levigatissimo sulco incavatur, per quem sulcum lamina inter operationem excurrit. Potest acus e speciali suo receptaculo, manubrio inscul-

sculpto, amoveri, mundari, reparari,
mutari etiam pro lubitu.

Manubrium A. fig. 3. conficitur ex cannula argentea, cui interius innecitur altera minor cannula ad continendum collum, sive caudam laminæ, mox describendæ peridonea. Manubrium in ea parte, quæ fulco acui impresso respondet, fissuram profundam habet, ex qua duo plana, sive laminæ argenteæ eriguntur (e. fig. 3^{tia}, & 4^{ta}) quas inter laminas absconditur altera chalybea, scindere capax, de qua mox dicemus.

Hæc igitur lamina, nude quidem repræsentata in fig. 7^{ma}, non plus fere densitatis habet, quam ordinaria lanceola; estque plano convexa, ut conve-

xita-

xitate sua inter operationem Iridem re-
spiciat, per totum latus D. D. acutissi-
me scindit. Ejus cauda, seu collum
(b. c.) figuræ est cubicæ, seu quadrila-
teræ, ut in sua propria cannula, supe-
rius memorata, firmius contineatur,
quin hinc inde vacillet.

Extremitati suæ (b.) mediante co-
chlea adjicitur parva lamina circularis
(a.), cui inter operationem digitus ad-
movetur, leviterque inde comprimitur,
sicque scindens lamina e sua vagina pro-
dit.

§. XII.

Instrumenti hactenus descripti ufus
hic est: Dato quod sinister **Oculus** ope-
ratione tractandus sit, (quæ enim de uno
dicen-

dicentur, intelligenda erunt vel de altero Oculo, nonnullis solummodo mutatis, quæ ex se patent) ægro adversus lumen locato, nosque coram ipso paulo altius sedentes, Oculum ejus dexterum idonea fascia primo obducimus, atque firmamus, dein affecto Oculo Speculum apponimus, quo non solum ab invicem diducuntur Palpebræ, sed simul firmiter continetur **Oculus**, ne hilum sub acus punctione vacillet; tum manu dextera accepto instrumento, ita disposito ac representatur figura 3^{tia}, apicem ejus admovemus puncto x (fig. 2.) & in Cameram anteriorem blande immittimus, curamusque, ut prodeat ex opposito punto z. Cornea sic trajecta impedimen-

to

to est, ne Oculus moveatur; ideo tunc deponimus speculum, ac uno, altero ve digito ejusdem manus, quæ ipsum continebat, Palpebram inferiorem deprimimus, eodemque tempore assistens, post Caput ægri situs, attollit palpebram superiorem; tum leviter deorsum Instrumento inverso, digitoque indice admoto parti a (fig. 4.) hæc blande comprimitur, donec scindens lamina exeat, prout vide re est in eadem fig. 4^{ta}, Corneamque sa tis discindat secundum puncta adnotata in fig. 2^{da}. Quod ubi peractum est, removetur Instrumentum, & jam maximum totius operationis negotium peregimus.

Si Cataracta adhæreat posteriori Iris
dis faciei, ab hac facile sejungitur, tan-

D tum-

tummodo si blande leviterque introrsum impellatur, trahaturque parumper extrorsum, idque repetatur, donec tandem exeat; ad hoc adhibenda est subtilissima forceps. Si sola lentis velamina impedian, quin Cataracta exeat; eadem vel apice ejusdem acus, qua operatio perfecta est, tundenda, atque rite findenda, vel crusculis (a. a.) Instrumenti figuræ octayæ ita involvenda, ac implicanda, ut dum istud educitur, secum trahat aliquam saltem portionem eorundem velaminum. Hocque adhuc tutius est, ac si simpliciter findantur; eo namque modo removetur, saltem ex hac parte, causa frequentior Cataractæ Secundariæ.

Superata autem resistentia velaminum, tum sponte saepissime sua Cataracta prodit; non minus facile educitur ope parvuli cochlearis. Quando autem fluida Cataracta est, tunc adhuc facilius exit. Si fragmentula supersint, levi hæc negotio cochleari, sive etiam volfella removentur. Scrupulosa vero fragmentorum indagatio non requiritur, quia natura ipsa probe scit uti via jam parata, & noxia expellere. Præterea ubi nimium in ea fragmentula inquiritur, eo magis defatigatur Oculus, graviora sequuntur incommoda, inde & Cataractæ Secundariæ, toties a nobis animadversæ, post operationes etiam eorum, qui

dexterimos inter Oculistas recensebantur.

§. XIII.

Præter ea quæ huc usque notavimus, nihil ultra exigit operatio, nisi dexteritatem, atque peritiam; queis, prout decet, si polleat Operator, optimo sane eventu ea nostra methodus non carabit: maxime si Instrumentum jam descriptum debitam proportionem, atque præcisionem obtinuerit.

Dexteritate quidem supponimus excellere omnes, qui id genus operationibus delicatissimis operam navant.

Peritiam vero paulo rariorem facimus; prout hæc revera multo plura exigit. Exercitatio quidem in cadaveribus

ma-

manum assuefacit, verum non satis intellectum instruit: cum is maxime ex præstantissimorum Authorum lectione, ac præsertim ex usu, primò sub oculis optimorum Practicorum incepto, instruatur.

Nec sufficit de iis informatum atque excultum intellectum habere, quæ actu operatio-
nis præstantur, sed de iis etiam instructum,
quæ operationem ipsam præcedere, ac
sequi debent.

Quoad primum refert ferio expen-
dere, an Cataracta quæ offertur fa-
cilius una, quam alia methodo sit cura-
bilis. Præterea considerare statum cor-
poris; consulere nempe affecti membra
circumstantias, præterea ætatem, cor-
porisque plenitudinem. Saliens oculus,

nullique inflammationi obnoxius, favet extractioni, cui etiam ætas recens magis quam provecta; cum vulnera in hac difficilius curentur, ægriusque resolvantur obstructiones Corneæ supervenientes.

Quoad plenitudinem vero, hanc operatores plures vix unquam perspiciunt, sed citissime operationem aggrediuntur, præ timore, ne occasionem amittant. Operatione autem peracta, ipsi quoque omnes conatus impendunt, ut symptomata doment; quæ longe mitiora supervenirent, si corpora ante operationem nonnihil disponerentur. Nam prout magis, vel minus corpora sanguine, fœcibusque repleta, symptomata quoque

gra-

graviora, vel mitiora futura nemo sane diffitebitur.

Nunc de illis symptomatibus nonnulla adjicienda supersunt, quæ post operationem, Oculum, partesque vicinas affligunt; quæque referenda sunt ad inflammationes, tumefactiones, atque dolores. Domantur hæc remediis antiphlogisticis, discutientibus, atque sopientibus. Inter priora prævalet venæ sectio, in pede adhibita, atque hyrudines pone aures admotæ; clysmata præterea, tenuisque diæta, nec non emulsa, admixto nitro, atque diocadio.

Parti vero læsæ mirifice subvenitur, imprimis si operatione confecta uterque oculus spleniis, & fascia obducatur, quæ

splenia parabuntur ex linteo subtili mundo; erunt circiter tria, quæ una vix tertiam pollicis partem densitate sua excedent; sicca nunquam manebunt, ne ob rigiditatem lædant, sed semper mafacta; mafacta autem debent humore non fatuo, vel relaxante, sed potius roborante, ac discutiente, prout habetur ex aqua lavendulæ, vel hyffopi, vel etiam rosarum, cui modica quantitas egregii spiritus vini galici addere consultius est. Fascia vero non arcte constringenda, sed blande firmando. Æger autem in cubiculo obfculo post operationem diu detinendus, proinde ac si simplex Cataractæ depositio habita foret, nam cum multo plures hic partes vulneratæ fint,

sint, diuturniori adhuc tempore indigent, ut revalescant. Emplastro Diapalmæ, quo nonnulli oculum post operationem immediate tegunt, ipse non utor, quod mihi visum est, effluentes ab oculo humores semicorruptos quodammodo retinere, adeoque potius curam protrahere, quam eius celeriori eventui opitulari.

§. XIV.

Sunt demum modificationes innundæ, quarum capax est instrumentum ultimo loco propositum, ut inde adhuc commodius exercitationi succedat. Manus scilicet si haud satis levis, atque firma esset, ut valeret ex uno ad alterum Corneæ latus tuto acum immittere (licet

hoc non adeo difficile, neque tantum
Petitio, aliisque, sed nobis etiam cen-
ties feliciter cessit); tunc sane possemus
acum supprimere , & loco ejus adjun-
gere instrumento specillum fulcatum ,
prout ostenditur figura 5^{ta}; specillo huic
vero iter pararemus apice parvulae lanceo-
lae, qua corneam leviter aperiremus;
induceremus postea per aperturam spe-
cillum , blandeque illud ad usque la-
tus aperturae oppositum immittendo, ibi-
dem firmum contineremus; unaque
laminam , ut prius, impelleremus ad Cor-
neam rite incidendam.

Potest vel illud specillum, de quo
loquebamur , simul tubulum continere,
in quo abscondatur acus , unde Cornea
pertun-

pertundatur, statim ac specillum ad illud oppositum Corneæ latus, ut superius dicebamus, devenit. Curavimus jam hujusmodi Instrumentum parari, idque repræsentatur fig. 6^{ta}. Ut acus e sua vaginula, sive tubulo exeat, sufficit tantillum digito impellere laminulam (f.), quæ libere movetur ex puncto (a.) ad punctum (g.). Majore explicatione harum rerum gnaris non opus.

§. XV.

Id vero non omittendum, posse vel ad alios usus, longe quidem diversos, In-
strumentum illud nostrum utiliter conver-
ti, aucta tantummodo ejus partium di-
mensione; quod nulli mirum, quandoqui-

dem

dem sæpesæpius idem Instrumentum, uni tantum scopo adimplendo primo inventum, ad plures variosque exinde usus aptissimum Praxi reperiatur. Evidem in amplissimo Chirurgiæ ambitu frequentissimi recurrunt casus, in quibus sinus, & fistulas dilatare sit opus, ut remedia ad vitia tollenda facilius inducantur. Hæ dilatationes sæpen numero difficillimæ, ac periculis plenæ, quod non raro apex scalpelli e fulco, per quem ducitur, aberret, ac in nervos incidat, vel arterias. **Hujusmodi** autem infortunia tutissime vitantur usu nostri Instrumenti; quippe quod Spicillum sulcatum, & lamina scindens perpetuo simul juncta sint; quæque proinde unica manu dirigantur, id quod

fane

sane commodum, atque utilissimum est.

Invenimus maxime quam idoneum Instrumentum hoc nostrum dilatando du*ctui Warthoniano*, ulcere affecto, Sinulos, & fistulas, maxime prope Anum, ejus ope facillime aperuimus. Quinimo putamus fore commodissimum pro paranda via, qua laqueus ad curandam fistulam Ani, prout jubet Hippocrates, inducatur. In Phymosis, ac Paraphymosis curatione, ubi incisio requiritur, pro hac ipsa instituenda aptius sane vix datur reperi*ri*, prout adhucdum experientia docemur.

Ast pro cura calculi etiam cum hoc ipso nostro Instrumento parabitur culter lithotomus, cæteris huc usque commendatis præferendus. Protracta enim, jux-

ta ultimam nostram Correctam Lateralem,
incisione tegumentorum, carniumque ad
usque initium Prostatæ; quod tunc de
Prostata, ipsiusque Vesicæ orificio scin-
dendum supereft, id sane tutissime præ-
stabitur usu hujusmodi inventi nostri, &
quidem geometrica mensura, absolutif-
fimaque præcisione: a qua sane præ-
cisione, longe abeft illud scalpellum (Li-
totome caché) a Fratre Cosmo propter
eumdem finem oblatum, cum certo scia-
mus, ex quamplurimis actis experimentis
nunquam in viventibus ita Prostatam du-
riorem eo scalpello discindi, ac intentio
ac necessitas foret, sed pro maxima par-
te solummodo eo ipso dilatari, ita ut
hocce educeto, via fit fere æque angusta

ac antea fuerit. Sæpenumero vero ultra prostatam (cum ingentis sit magnitudinis illud scalpellum, & ubi apertum, sat rite magnæ novaculæ comparetur) huc illuc teneram Vesicam attingit, funestasque noxas infert, prout ingenui Viri jam animadverterunt, nosque etiam ex inspectis exemplis fatemur, solo veritatis desiderio moti, nequaquam vero animo infringendæ inventionis Fratris Cosmi; licet dubium adhuc, an reapse inventum ejus sit, cum ineunte hoc sæculo simillimum dederit egregius Chirurgus Bessier, pro dilatanda five incidenda fistula Ani. Hujus equidem inventum videri poterit in Sculpteti Tabulis pag. 326:

Pluribus hic agere haud opus, maxime cum brevi iterum proditura sit nostra curandi calculi, in latium converversa, methodus; notis aucta, optimisque suffragiis pro curationum frequentia, casuumque raritate ornata, atque suffulta.




Fig. 1.



Fig. 2.




Fig. 3.



Fig. 4.



Fig. 5.



Fig. 6.



Fig. 7.





Fig. 8.



Pro Cataracta.

